Quelle: http://manuscripta.at/?ID=30390
Copyright: Heiligenkreuz, Zisterzienserstift

tota absorbta stetit. bene matris
nomine exprimitur cum dicitur. Stabat iuxta
crucem ihesu mater eius. Ecce dilectissimi
stationem gloriose virginis iuxta crucem
licet insufficienter expositam audi-
vimus. nunc coassistentium conditionem
inspiciamus. Sequitur. Et soror ma-
tris eius maria cleophe. et maria
magdalene. Sicut ex antiquis gene-
alogiis colligitur. anna mater sacratissi-
me virginis tres successive mari-
tos habuit. Primus fuit ioachim
de quo peperit hanc de qua loquimur virgi-
nem mariam. Secundus fuit cleophas
de quo alteram mariam genuit. quam
desponsavit alpheo. de qua illa genu-
it quatuor filios. Iacobum minorem
et simonem et iudam. et ioseph. qui cog-
nominatus est iustus. Tercius anne ma-
ritus fuit salomas. de quo terciam ma-
riam genuit. quam tradidit zebedeo
in matrimonio. de quo ipsa genuit
Iacobum maiorem et iohannem evangelistam.
Hec ergo que ut dictum est cruci astitit me-
dia maria fuit. quam ideo dicitur maria
cleophe. et supplendum est filia. quam vero
dicitur maria iacobi. supplendum est mater.
Maria magdalene que hic tercia po-
nitur. hec est de qua testante marco eie-
cerat dominus septem demonia. Matheus
autem et marcus et mariam matrem
iohannis uxorem zebedei. cum ceteris affu-
isse narrant. Iohannes quoque quod et ipse

affuit. ex iam sequentibus patebit.
Fuerunt ergo quinque in universo per-
sone. quas evangeliste exprimunt.
stantes iuxta crucem. videlicet ma-
ria mater ihesu. maria cleophe.
maria magdalene. maria ze-
bedei. et filius eius iohannes. Quas
utique scriptura nequaquam ita diligenter
exprimeret. nisi aliquam in ipsis in-
tenderet fidelium edificationem.
Ideo namque quod mater illa compati-
ens pacienti filio astitit. mun-
do manifeste datur intelligi quam
molestum in nobis sit deo patri pec-
catum. pro quo abluendo non fili-
um suum de tanta passione. nec
sponsam suam matrem scilicet eiusdem
filii de tanta compassione supportare
dignatus est. Quod si alienus pec-
catis hic ille innocens filius in con-
spectu innocentis matris pertulit.
quid aliud instruimur per hoc nisi
quod pro peccatis nostris. per passionem
atque compassionem admoniti oporteat
satisfacere. passionem dico quam
nobis ipsis per satisfactorias au-
steritates inferimus. et illatam
ab aliis humiliter toleramus. Hec est
enim crux nostra. de qua salvator dicit.
Qui vult venire post me et cetera.
Conpassionem vero hic appello.
quam et in corde gerimus. et
exprimimus per opera pietatis exhi-